



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Gerardo Abbati monasterij beatae Mariae Magdalenae Virziliacen. ejúsque  
fratribus tam praesentibus quàm futuris, regularem vitam professis in  
perpetuum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**



\* f. satisfecerint  
competenter.

communicatos & interdictos faciat ab omnibus evitari, donec iidem malefactores\* satisfacere compellantur; & si delicti qualitas hoc exegerit, ad sedem apostolicam cum testimonio literarum Abbatum vel Capituli veniant absolvendi. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

*GERARDO ABBATI  
monasterij beate Mariæ Magdalene  
Virziliacen. ejusque fratribus tam præ-  
sentibus quam futuris, regularem vitam  
professis in perpetuum.*

Epist. 150.  
De eodem ar-  
gumento.

**R**eligiosis votis annuere & ea operis exhibitione complere, officium nos invitat suscepti regiminis, & ordo exigit rationis. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium S. Mariæ Magdalene Virziliacensis, in quo divino mancipati estis obsequio, ab illustri memoriæ Gerardo Comite ipsius loci fundatore & uxore ejus Bertha beato Petro Apostolorum principi propria devotione oblatum, apostolicæ sedis patrocinio communimus, & ad exemplar prædecessorum nostrorum piæ recordationis Leonis, Gregorij, Urbani, Eugenij, Alexandri, Lucij, Urbani, Gregorij, Clementis, & Celestini Romanorum Pontificum statuimus vt idem monasterium in nullo teneatur alicui nisi tantum Rom. Ecclesiæ respondere, & illum vobis in Abbatem dari volumus & præponi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilij sanioris secundum Dei timorem & beati Benedicti institutionem elegerint, & Romanus Pontifex providerit ordinandum, aut suggestionem monachorum ejusdem loci consenserit ordinatum. Sanè consecrationem monasterij vestri & Ecclesiarum quæ sunt in circumadjacenti villa Castri insulæ, & Monterione, chrisma, oleum sanctum, benedictionem Abbatis, ordinationes monachorum & Clericorum, & cetera ecclesiastica sacramenta, vobis à quo malueritis catholico Episcopo suscipienda concedimus, qui apostolica fultus auctoritate quod postulatur indulgeat. Ecclesiæ verò ejusdem monasterij per diversas provincias constitutæ, & earum Altaria ab Episcopis, in quorum diocesi sunt, consecrentur, cæmeteria benedicantur, sacerdotes & Clerici ordinentur, chrisma & oleum suscipiatur; siquidem gra-

tiam atque communionem apostolicæ sedis habuerint, & ea gratis ac sine gravitate voluerint exhibere. Alioquin pro eorum susceptione catholica quem malueritis Episcopum adeatis, qui similiter apostol. fultus auctoritate, quod postulatur indulgeat. Porrò diocesano Episcopo in monasterio vestro, nisi forte ab Abbate fuerit invitatus, nec stationes agere nec Missas liceat publicas celebrare, neque ullam in eodem cænobio & circumadjacenti villa & in Ecclesiis Asconij, sancti Petri, quæ sunt in radice montis ipsius sitæ, & in Ecclesiis Castri insulæ & Monterione, dominationem exercendi vel interdicendi habeat potestatem. Mansuro in perpetuum præterea decreto penitus prohibemus ne Abbatem vel monachos persona quælibet secularis ad curiam suam judicandos vel in causam ducendos vocet; nec Abbas, vel monachi, aut eorum homines ab Ecclesia, cui serviunt, judicandi coacti pro susceptione iudicij curias Principum adeant aliquorum, neque per alicujus Principis potestatem Abbas cum hominibus Ecclesiæ Virziliacensis, si qua inter eos querela emerferit, in causam intret; nec aliquis eos adversus Abbatem defendere audeat, vel tueri; nec burgenfes vel homines Ecclesiæ Virziliacensis, præter Abbatem & monachos, quisquam Principum ad suam curiam judicandos, & distringendos, puniendosve ire compellat. Ad hæc, sæpedito monasterio auctoritate apostolica confirmamus quæcunque prædictorum fundatorum seu quorumcunque fidelium legitima collatione aut aliis justis modis noicitur possidere, & quæcunque justè in futurum & canonicè largiente Domino poterit adipisci. Præterea quieti vestræ providentes, auctoritate apostol. interdicens, & sub excommunicationis vinculo prohibemus, ut infra pertinentias monasterij vestri crucibus determinatas nullus hominum capere, invadere, seu bona sua auferre, sive assultum vel quamlibet offensionem facere, neque per alicujus Ducis vel Comitum auctoritatem quisquam sine licentia vestra in eodem monasterio Missas celebrare, & oblationes detinere præsumat. Nihilominus quoque prædecessorum nostrorum fe. mem. Urbani, Eugenij, Alexandri, Lucij, Urbani, Gregorij, Clementis & Celestini Roman.

Vide Notas ad  
Lupum Ferrar.  
pag. 367. 412.  
449. & seq. &  
in Appendice  
pag. 10.



Pontificum vestigiis inhaerentes, statui-  
mus ut in Ecclesiis & capellis vestris per  
diversas provincias constitutis Presby-  
teri à vobis vel fratribus vestris eligan-  
tur; ut Episcopis, in quorum diocesi  
sunt, praesententur: à quibus, si idonei  
fuerint, curam animarum accipiant; ita  
quidem quòd de plebis cura teneantur  
Episcopis respondere; de oblationibus  
verò, decimis, aliisque redditibus, sicut  
à praedecessoribus nostris vobis conces-  
sum fuisse dignoscitur, in curia vestra  
sua iustitiam exequantur. quod si fa-  
cere fortè noluerint, subtrahendi eis  
temporalia ipsa liberam habeatis aucto-  
ritate apostol. facultatem. Sententiam  
in super super causa quae inter vos &  
bonae memoriae Stephanum quondam  
Eduen. Episcopum vertebatur, à Domi-  
no Urbano praedecessore nostro de com-  
muni consilio & assensu fratrum prola-  
tam, & à felicis record. Clemente pra-  
decessore nostro postmodum confirma-  
tam, auctoritate apostol. concedimus  
& praesentis scripti pagina communi-  
mus. Quae quidem sententia talis est.  
CONTROVERSIÆ quae sub examine  
sedis apostol. terminantur, literarum  
debent memoriae commendari, ne tractu  
temporis in recidivae quaestionis ser-  
pulum deducantur. Meminimus autem  
pia memoriae praedecessorem nostrum  
Lucium Papam venerabilibus fratribus  
nostris T. Portuen. & N. Albanen. Epif-  
copis & nobis adhuc in minori officio  
constitutis injunxisse ut in causa inter  
venerabilem fratrem nostrum Eduen.  
Episcopum & monasterium vestrum di-  
utius agitata, testes ipsius Episcopi audi-  
remus, eo, sicut recolimus, patenter  
expresso, ut super his articulis, in qui-  
bus jus episcopale monasterij privilegia  
excluebant, nulla per testes inquisitio  
haberetur, sed super aliis, de quibus ab  
Episcopo quaestio contra monasterium  
movebatur. Testibus itaque praefato re-  
nore receptis, & depositionibus eorum  
redactis in scriptis, fuit indulta commif-  
sio pro aliis testibus producendis, diffi-  
nitiva sententia apostol. sedis examini  
reservata. Proinde postea quae acta sunt  
sub iudicibus delegatis, tam Episcopi  
quam monasterij procuratoribus statu-  
to termino in nostra praesentia consti-  
tutis, post multa hinc inde proposita  
ab Episcopi procuratore quaesivimus ut  
quicquid peteret, scripturae serie decla-

raret. qui licet antea per advocarum  
subjectionem monasterij cum aliis pe-  
tiisset, tandem libello porrecto confes-  
sus est quòd nihil in corpore monasterij  
vendicaret, sed in Ecclesiis in villa cir-  
cumadjacenti monasterio constitutis,  
clero & populo earundem & quibusdam  
aliis jus episcopale Domino suo restitui  
postulabat: quorum possessionem Eduen.  
Ecclesiam habuisse, & praeter juris or-  
dinem amisisse, sufficienter probatum  
esse testibus asserebat. & ideo attestatio-  
nes aperiri cum instantia requirebat. E  
contra verò Virziliacenses nec litem  
fuisse super his quae exempta sunt per  
privilegia contestatam, & se liberè usos  
suis privilegiis affirmabant. Nos verò  
privilegiis monasterij diligenter inspe-  
ctis, villae circumadjacentis Ecclesias,  
scilicet sancti Petri, sancti Christopho-  
ri, sancti Stephani, sanctae Marthae,  
sanctae Crucis, & sancti Iacobi, plena  
& pari cum monasterio gaudere reperi-  
mus libertate. Quia ergo, sicut dictum  
est, nostri non fuit praedecessoris inten-  
tio ut super his quae in privilegiis exi-  
muntur, vel haberetur quaestio, vel te-  
stimonium redderetur, attestations  
omnes super his, si quae sunt exhibitae,  
duximus irritandas. Sanè libertatem  
monasterij ex ipsa procuratoris Episco-  
pi confessione tenentes, & privilegio-  
rum claram seriem in aliis, quae licet  
exempta in quaestionem deducebantur,  
attentiùs intuentes, procuratori Epif-  
copi de consilio fratrum nostrorum su-  
per subjectione monasterij & omnibus  
quae in privilegiis eximuntur, per dif-  
finitivam sententiam silentium perpe-  
tuum ita duximus imponendum, ut in  
Ecclesiis supradictis, clero & populo  
earundem, & villa circumadjacenti ni-  
hil juris, nihil consuetudinis, nihil om-  
nino quisquam, praeter Romanam Ec-  
clesiam, secundum quod privilegia con-  
tinent, quae diligenter inspeximus, ha-  
beat potestatis. Veruntamen principalem  
super ipsis privilegiis quaestionem,  
si ea Episcopus non in parte sed totali-  
ter tentaverit improbare, ipsi liberam  
reservamus. Decernimus ergo &c. *uf-  
que ad verbum illud* fatigare, aut de pro-  
priis animalibus, quae in cellis ejus sunt,  
decimas exigere, sed omnia &c. salva  
in omnibus sedis apostolicae auctoritate,  
& in illis Ecclesiis quae exemptae non  
sunt dioecesanorum Episcoporum cano-



nica iustitia. Ad iudicium autem tam jurisdictionis Romanae Ecclesiae, quam libertatis vestrae, libram unam argenti nobis nostrisque successoribus annis singulis exsolvetis. Si qua igitur &c. Datum Romae apud sanctum Petrum per manum Rainaldi Domini Papae Notarii, vicem agentis Cancellarij, III. Non. Maij, Indictione prima, incarnationis Dominicae M C XCVIII. pontificatus vero Domini Innocentij Papae tertij anno primo.

VILLIELMO REMEN.  
Archiepiscopo, sanctae Sabine  
Cardinali.

*Epist. 151.*  
Vt electo Cameracensi liceat resignare juri, & ut eligatur alius idoneus à Capitulo, intra mensem, vel instituat auctoritate apostolica.

**C**VM illos qui ad praelationis officium evocantur esse deceat sollicitos & attentos ut tanquam boni pastores vigilias noctis custodiant super grege sibi commisso, ne lupus rapiat vel dispergat, qui propter impedimentum cordis aut corporis aliquando ad hujus officij onus electi suam insufficientiam recognoscunt, & malunt praelationis officium resignare quam velint sub eorum regimine gregem dominicum deperire, gratum exhibent Domino, sicut credimus, famulatum, & petitionibus eorum favor est apostolicus impendendus: quia tutius est in Ecclesia non praesse, quam non prodesse, qui praesunt. Licet autem occulta cordium ille solus intelligat qui renum est scrutator & cordium, quia tamen à nobis tam ex parte tua quam dilecti filij Cameracensis electi extitit postulatam, ut si idem electus eujuspiam infirmitatis conscius, propter quam ad regimen ipsius Ecclesiae insufficientem dignoscitur, vellet sine pravitate aliqua resignare, liceret tibi eandem recipere cessionem, volentes, quantum cum Deo possumus, Cameracensis Ecclesiae providere, auctoritate tibi praesentium indulgemus, ut si electus ipse propter praedictam causam sine pravitate renunciare voluerit, resignationem ipsius apostolica auctoritate recipias, & ascitis tibi venerabilibus fratribus nostris Atrebatens. & Ambianens. Episcopis Canonicos praedictae Ecclesiae studiosius moneas & inducas ut infra mensem post admonitionem vestram, personam idoneam sibi communiter juxta sanctionem canonicam eligant in pastorem. Si vero in electione facienda omnes, vel major & sanior pars, non po-

tuerint convenire, ut ab eadem Ecclesia dissensionis in electione amoveatur materia, per quam jamdudum plurima sustinuisse dignoscitur detrimenta, ex tunc tu pariter cum praedictis Episcopis, vel eorum altero, si ambos habere non poteris, non obstante contradictione vel appellatione cujuslibet, praeficiendi ipsi Ecclesiae personam idoneam in pastorem liberam habeas auctoritate apostolica facultatem. Nulli ergo &c. Datum Romae ut supra V. Idus Maij, pontificatus nostri anno primo.

E I D E M.

**C**VM ad ecclesiastici honoris augmentum tuam sollicitam cognoscimus voluntatem, tanto tibi propensius in Domino congaudemus, quanto personam tuam syncerae caritatis brachiis amplexamur, & te tanquam praecipuum Ecclesiae membrum in domo Domini desideramus evidentiùs elucere. Pervenit siquidem ad audientiam nostram, quòd cum ad ampliationem divini cultus & honorem Ecclesiae Gallicanae in Castro tuo, quod Mosomum dicitur, in abbacia ejusdem Castri disposuisses novum episcopatum erigere, à felicitis recordationis Celestino Papa praedecessore nostro super hoc licentiam postulasti: qui fratrum deliberato consilio, sicut in ejus literis continetur, tibi per scripta sua concessit, ut de assensu carissimi in Christo filij nostri Illustris Regis Francorum, de consilio etiam venerabilium fratrum nostrorum Atrebatens. & Ambianens. Episcoporum, illud apostolica auctoritate suffultus, nullius contradictione vel appellatione obstante, in hujusmodi negotio agere procurares quod ad honorem Dei & Ecclesiae cognosceres pertinere, illos ecclesiastica distinctione percellens qui tibi super hoc duce- rent temeritate qualibet resistendum. Nos igitur ejusdem praedecessoris nostri vestigiis inhaerentes, de fratrum nostrorum consilio, ut in praedicta abbacia juxta praescriptam tibi formam à praedecessore nostro episcopatum erigere valeas, vel si malueris in eodem Castro Cathedrali Ecclesiam, cui praeficiatur Episcopus, fabricare, liberam tibi concedimus auctoritate apostolica facultatem: ita tamen quòd ab eodem monasterio

*Epist. 152.*  
Quòd novam Cathedrali ipsi erigere liceat. Cenobia tamen in illos usus non convertantur, sed cenobia permanent.